

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4232

**Auteur(s) :** Richard III, Avranches (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1175...

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard, évêque d'Avranches, confirme en faveur de l'abbé A. et des chanoines de Sainte-Trinité de La Lucerne la donation faite par Guillaume de Saint-Jean à cette abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° XIV, p. 13-14.

Texte établi d'après a

Ricardus Dei gracia Abrincensis ecclesie minister humilis dilectis in Christo filiis A. abbati totique canonicorum conventui Sancte Trinitatis de Lucerna perpetuam in domino salutem. Pastoralis congruit moderamini ecclesiarum curam gerere et earum utilitatibus et incrementis diligenter providere ; hac itaque consideratione ducti et fraternitatis vestre dulcedine commoti, elemosinas et dona que Willelmus de Sancto Johanne dedit Deo et abbacie vestre, prius per manum Achardi sancte recordationis episcopi, et postea per nostram, episcopali auctoritate vobis in perpetuum confirmare curavimus : Terram videlicet in qua fundata est abbatia vestra, illam scilicet que est inter primum vivarium vestrum et nemus et Thar et Tharneth ; et ecclesiam de Rochella cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure episcopali, et vineam que est juxta ecclesiam Sancti Johannis, et masuram Girardi, et masuram Hugonis Le Blanc, et masuram Radulfi Le Sor. Et pro decima redditus nummorum suorum XIII solidos Cenomanensium in prefectura, et IX solidos Cenomannensium de prato de Wauteret. De his XXIII solidis XIX solidi erunt ad luminare in ecclesia Sancti Johannis, et IIII solidos qui restant habebunt canonici ; et unum pratium, et XV quarteria frumenti in molendinis de Sancto Johanne, et sedem unius piscarie ad mare, et totam decimam omnium piscariarum et sepiarum de batellis, et decimam redditus molendini et hominum de Brikeigneio, et decimam redditus terre quam Willelmus de Verdun tenet de eo apud Boillun. Hec vobis dedit predictus Willelmus per manum pie recordationis Achardi, episcopi. Nos vero, ex dono et presentatione predicti Willelmi, et permissione et consensu Roberti abbatis et conventus ecclesie Sancti Michaelis de periculo maris, donamus in perpetuam elemosinam abbacie vestre et vobis ecclesiam de Sancto Johanne cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure episcopali, ita tamen ut per duos presbiteros serviatur, alterum canonicum, alterum secularem, qui parrochie desserviat ; et decimam redditus gallinarum in Sancto Johanne, et ecclesiam de Angeio cum omnibus pertinentiis suis, salvo jure episcopali, et VIII solidos Cenomannensium in redditu ejusdem ville ad festum Sancti Michaelis, et unum quarterium et dimidium avene, et decimam molte, et ibidem decimam tocius redditus Andree de Rochella. Hec igitur, ut vobis et successoribus vestris rata permaneant, episcopali auctoritate confirmamus, et eos qui contra hoc, diminutionis causà, venire temptaverint, postquam tercio commoniti fuerint, nisi satisfactione congrua presumptionem suam emendaverint, anathematis vinculo innodamus. Hujus autem donationis et confirmationis testes sunt : Willelmus thesaurarius, Willelmus de

Veim, Willelmus et Ricardus nepotes mei, magister Rogerus Normannus, Gislebertus de Campellis, Willelmus de Leisiaus, Robertus de Veim, Philippus de Leisiaus et plures alii.